

QVÆSTIO III.

Quare prætereunti Christo Leprosi occurrunt?

19. Ad dona ca-... 20. Ad quæstionem respondeo, quod, cum audissent Leprosi Christum Dominum aduenientem, ei occurrunt, ne scilicet, si transiret Iesus ipsi remedio priuati remaneret, prætereunte occasione, quæ à tergo calua est, & cum præteterit, reuocari non potest. In lectulo quærit Anima Sancta suum dilectum. Surgit inquirens ipsum inter custodes, & vigilas ciuitatis. Paululum cum pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, &c. Cantic. 3. num. 4. Postea verò cum Sancta Anima dormiret, ait: Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea. Cantic. 5. num. 2. Cæpitque ipsa exclamationes pertere. Expoliam me tunica mea, quomodo induam illam. Tandem amore eius vulnerata ait, Surrexi ut aperirem dilecto meo, ille declinauerat, atque transferat. Cæpitque diligentissime illum inuestigare. Quæsi, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi. Sed incidit in custodes ciuitatis, qui eam vulnerauerunt, & percusserunt. Cur Anima Sancta in primo euentu tam facile dilectum inuenit, non verò in secundo? In primo casu ex interna dilecti pulsatione, vt commentantur Origenes, Orgilitanus, Rupertus, & alij; mota dilectum quæsiuit, sicque occasione oblata, ipsam arripiens Sponsam inuenit. Tenui eum, nec dimittam. At in secundo euentu, cum dilectus ad ostium pulsaret, obstacula posuit, ne ei aperiret; sicque pertransiens Sponsus, pertransiit & occasio, & aliam similem non inuenit, at ille declinauerat, atque transferat: solumque multa mala reperit, nam custodes percusserunt, & vulnerauerunt eam. D. Hieronymus Epist. 22. Vox, ait, fratru mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea. Nec est, vt dicas, dispoliam me tunica mea, quomodo induam illam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Illico conserge, & aperi, ne te morante pertransiat, & postea conseraris, & dicas: Aperi dilecto meo, at ille declinauerat, atque transferat. 21. Determinato consilio statuit Iacob fugere à domo Laban. Quod narrans Sacer textus ait: Eo tempore ierat Laban ad tendendas oues. Genes. 31. num. 19. Eo euentu Iacob se se abdicat à domo socii sui. Quando scilicet Laban occupatus erat in tendendis suis ouibus. Et cur hoc notatur ab Spiritu Sancto? Vt solertia, ac prudentia Iacob denotetur; qui, non quouis tempore tantam rem molitur, sed oblata opportuna occasione discessus à Laban, vt securius fugeret, iras declinat, eam arripuit. Dionysius Carthusianus. Natus est Iacob, ait, magis opportunum tempus ad fugam, locus enim ille, in quo Laban occupatus erat in tonsione ouium, remotè distabat. Vide tom. 1. lib. 3. c. 6. num. 29. & tom. 2. cap. 22. quæst. 8. n. 55. tom. 3. cap. 1. quæst. 9. num. 62. 63. & 64.

QVÆSTIO IV.

Quare ab his hominibus Leprosi Christus non deuitat consortium?

22. Leprosi suæ immunditiæ bene conscij summam Christi puritatem venerantes, ad eum appropinquare non audent; sed Christus Dominus eorum consortia non abhorruit, sed ex alta sui dispositione se illis obuiam præbet. Primò quia nemo potest venire ad Deum, nisi Deus prius ad eum veniat: ipse enim prior nos quærit, vt nos eum quæramus. Ex quo perpende summam Christi pietatem. Hi, cum essent Leprosi, à cæteris omnibus despectui habebantur, omnesque ob eorum lepram eos deuitabant: at Christus eorum miseria commotus eis occurrit, vt subueniat, salutiferaque remedia diffundat. 23. Secundò. Christus Dominus valde alienus ab omni immunditia, ab omni labe purissimus, his Leprosi in eorum salutem fit obuiam; ipse enim ex sua eximia pietate, & sanctitate factus est nobis remediũ, ac propitiatorum. Mandauit Deus Moysi, facies propitiatorum de auro mundissimo. Exod. 25. num. 17. Chaldaeus legit, ex auro purissimo. Dicebatur autem propitiatorum, seu, vt Septuaginta legunt, placatorium; quia Deus ibi Moysi apparet, & cum eo loquens placabatur, & propitiabatur populo. Hoc autem propitiatorum Christum Dominum significabat, vt docet D. Bernardus serm. 20. & 22. in Cantica. D. Gregorius homil. 4. in Ezechiel, iuxta illud Pauli 3. num. 21. Quem posuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, seu, vt alij legunt, propitiatorum. Sed cur huiusmodi propitiatorum mandatur fieri, non ex quolibet auro, sed ex auro purissimo, ac mundissimo? Ex eo enim, quod Christus Dominus ab omni labe, ac inquinamento est purissimus, inde factus est nobis propitiatorum, ac placatorium in remissionem omnium delictorum. Petrus Cellensis lib. de Tabernaculo. Aurum, inquit, diuino in Christo substantia significat pretium, signanter, & expresse dixit, mundissimo, qui videlicet ex eo, quod Deus est, ex omni labe mundissimus, ex eo, inquam, propitiatorum nobis factus est Christus Dei filius, ex eo peccata mundi tollere potuit Agnus Dei sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior calis. 24. De Christo Domino ait Paul. ad Philipp. 2. n. 8. Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, factus obediens usque ad mortem. Ad quid, intendens explanare mysterium ostra redemptionis per Christum operatum, factus obediens usque ad mortem, prius tamen præmittit, quod cum esset in Dei natura, ac essentia, non est arbitratus, se rapinam facere, cum se dicit, ac prædicat æqualem Deo. Ego, & Pater unum sumus, Ioan. 17. Sed tunc, cum tantus, ac talis esset supremus omnium Dominus, semetipsum exinaniuit, euacuauit, ac humiliavit, formam serui accipiens, vt nos redimeret. Quænam conexio interuenit, quod cum Deus esset, formam serui accepit? Quia ergo non rapina, sed natura, cunctorum Dominus erat, ideo seruilia officia non respuit, nec horruit, sed libenter sustinuit, vt cunctis propitius fieret, dans salutis remedia. D. Athanasius homil. de semine. Seruator, Rex, ait,

ait, genitus ante sacula, nec temporarium regnum possidens, sed ante sacula, Rex ex Rege Deo genitus; & ipse quoque seruire sustinuit, non enim rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.

Luc. 17. n. 13. Et leuauerunt vocem, dicentes: Iesu Præceptor, miserere nostri. Num. 14. Quos vt vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt.

VERSIONES.

Theophyl. n. 13. Intenta voce dixerunt, Iesu præceptor. Syriacus. Magister noster Ieschua, miserere nostri. Vat. abul. n. 14. Profecti ostendite vos sacerdotibus. Euenitque, vt inter abeundum mundati sint.

EXPOSITIO II.

25. Theophyl. T leuauerunt, seu, intenderunt, atque voce clamauerunt: tum etiam quia longe aberant; tum etiam quia magno salutis desiderio mouebantur. Ait Theophylactus. Loco quidem procul astant; oratione autem appropinquant: prope est enim Dominus omnibus inuocantibus se in veritate. Psal. 144. n. 18. Vocem, vna nempe voce clamant, non vnusquisque pro se, sed omnes pro omnibus erant orantes, ad quod magna est coniectura, vt magis numero, & communi causa, quasi adiunctis viribus, quadamque veluti conspiratione facta Christum ad misericordiam commouerent. Hac vis Deo grata est, vt in simili ait Chrysostomus Orat. 4. de Incomprehensibili Dei natura. Et quia etiam multorum oratio valde efficax est ad impetrandum. Iesu præceptor. Breuis, & elegans oratio; non multas habet verborum ambages, sed compendiose concluditur: nomen Iesu dicunt, & felici auspicio totam rem lucrifaciunt. Præceptor. Vox Græca quid amplius significat, quam doctorem, nempe, vt ait Theophylactus, Dominum creatorem, id, quod est, putare illum prope Deum. Vnde ex Græco Lucas Burgensis, Cornelius à lapide, Præfete, seu præfes, cui est, cuncta imperare, hunc morbum impera, vt à nobis discedat. Si verò facias vim in verbo Præceptor, dic, quod Christus de se dixerat: Spiritus Domini euangelizare pauperibus misit me, sanare cõrptos corde, prædicare captiuis remissionem, Luc. 4. num. 18. Indèque Leprosi eum præceptorem vocant, vt id, quod de se prædicabat, ei salutem dando, opere adimpleret. Miserere nostri, suam magnam miseriam agnoscent, & consentunt. Et quia nulla possunt allegare sua merita, ad misericordiam tutum asylum confugiunt. Daniel. 9. n. 18. Et non quilibet ait, miserere mei, sed omnes, nostri. Quos vt vidit, ait Hugo, non solum exteriori aspectu, sed etiam interno compassionis affectu. Vidit, de salute eorum sollicitus, eisque misertus. Sic dicit D. Augustinus in Psal. 62. Quod, Deum

respicere, pro diligere, seu misereri, poni quotidianum est. Ite, id est profecti ad templum Ierosolymitanum, Ostendite vos sacerdotibus, ad hos enim spectabat, iudicare, an Hebræi essent lepra infecti; Leuiti. 13. num. 2. vel ab illa immunes. Leuiti. 13. Cum ergo hi essent sanandi, ad sacerdotes mittuntur, vt eos sanos iudicent; de quo latius quæst. sequenti. Notat Carthusianus, quod non dixit Christus, Iubeo, vos sanari, sed ostendite vos sacerdotibus, sua modestia docens nos, magnalia nostra abscondere, ne magna agamus propter hominum applausum, & laudem. In his tribus verbis tria ponderat D. Antonius Vlyssipponensis Dom. 14. post Trinit. Ite, cordis contritio ab occasione exiens; Ostendite, oris confessio; Sacerdotibus, per quos Leprosi erant expiandi, operis satisfactio. Factum est autem, dum irent. Cum Domini præceptum audissent, Ite, ostendite vos sacerdotibus, non respondent, nec dubitant, sed statim viam arripiunt. Factum est, dum irent, non casu, sed magna Christi virtute, & dispositione, mundati sunt. Leprosi, cum sanantur, dicuntur mundari: non enim solum statuto Moysaico, sed etiam omnium nationum ritu valde immundi iudicantur, ab hominumque consortio, ac oppidis excluduntur.

QVÆSTIO V.

Quare hi Leprosi sanandi mittantur ad sacerdotes?

28. Variæ quæstiones possunt excitari inter curationem horum decem Leprosorum, & illius Leprosi, quem Dominus descendens de monte curauit. Nam hic antequam ad sacerdotem mitteretur, à Domino ob eius ingentem fidem curatur, Christo illi dicente: Volo mundare. Hi autem decem sanantur, postquam ad sacerdotes mittuntur. Secundò. Illum Leprosum mandat Dominus ad sacerdotem, Vade, ostende te sacerdoti, Matthæi 8. num. 4. seu, Ostende te principi sacerdotum, vt scribit D. Marcus 1. num. 44. ad principem enim sacerdotum, tanquam ad caput, ad reliquos sacerdotes, vt ministros, spectabat, iudicium ferre de lepra, de quo ego tom. 2. cap. 20. quæst. 11. num. 71. Decem autem Leprosos, de quo in præsentia, ad sacerdotes destinat, Ite, ostendite vos sacerdotibus. Fortè ponitur numerus pluralis pro singulari, sicut dicitur, Ite ad medicos, id est ad medicum, vel etiam ob honoris causam, siquidem princeps sacerdotum venerandus erat, non tanquam vnus, sed tanquam plures. Vel quia ille primus, cum esset vnus, destinatur ad principem sacerdotum; hi autem, cum essent decem, & multi, ad eius ministros. Tertio. Illi Leprosi imperat Dominus secretum: Vide, nemini dixers, Matthæi 8. n. 9. Sicut & duobus cæcis curatis ait, Vide, ne quis sciat, Matthæi. n. 30. His autem decem nullum tacendi imponit præceptum; secretum enim inter vnus, & alterum retineri potest, minime verò inter plures, & decem. Ad quæstionem communis solutio est, quam tradunt Beda, Hæricus, Haymon, Carthusianus, & communiter expositores. Quia Leuiti. 13. n. 2. ad sacerdotes pertinebat, iudicium ferre, an Hebræi essent lepra coinquinati, vel ab illa liberi; ad hoc enim, vt notat Theophylactus habebant certa signa,



Signa; quos autem ab illa mandos iudicabant, sacrificio oblato expiabantur. Matth. 8. num. 4. & Marc. 1. num. 44. Publico testimonio eos vbi, ac aliorum consortio restituebant. Cum ergo hi decem essent sanandi, ad sacerdotes mittuntur, vt de eorum sanitate iudicent, eosque praescriptis a lege ritibus purificent: vt ita Christus, qui venerat legem adimplere, legem in omnibus obseruaret.

Secundò. Mandat Leprosus, *Ite, ascendite vos sacerdotibus*, vt & sacerdotibus, etiam iniquis, quales hi erant, suam reuerentiam, suum honorem, ac ius illarum seruaret, ne defraudati aliquo lucro, ex sacrificio oblato proueniente, inde sacerdotes, fictum zelum pertendentes, calumnian- di eius opera aliquam attiperent occasionem. Ericus in praesenti: *Misit eos ad sacerdotes*, ait, vt eis adiuuandum obstrueret, illis magis parcens, qui illorum garrula curabant. Tertiò. Si isti Leprosi cogniti erant ab omnibus, vt Leprosi, ingredienti vrbem absque sacerdotum testimonio, à ciuibus excluderentur; ipsi autem, cum se defenderent, dicentes, se iam esse mundos, posset dari aliqua contentiois occasio, quae vt euitetur ad sacerdotum iudicium eos Dominus remittit.

Quartò. D. Cyrillus in Catena Graeca: *Ire eos iussit, vt hac ratione restarentur sacerdotibus, & Iudaeorum predicatoribus, eius gloria amulis, quod inopinatè, atque mirisane sanati essent, Christo eis sanantem concedente.* Non solum hos decem Leprosos voluit Christus, sed etiam Iudaeorum odium curare: nam Iudaeorum sacerdotes, Christi aduersarij, videntes eius virtutem, miraculo, ac testimonio decem Leprosorum comprobata, ipsam venerantur, & odium deponentes, Christi maiestatem recognoscerent. Sed pro dolor! nulla euidencia, nullòque testimonio cæcum odium mitigatur. Quintò. Vt etiam ipsi Iudæi, æmuli Christi, de eius eximia virtute, ac potentia redderent testimonium; quæ sic hos homines sanauit, ac mundauit, vt in eis nullum lepræ signum esset.

Sextò. Euthymius. *Mittit eos ad sacerdotes. Hoc fecit, inquit, probans fidem illorum. Illi vero credendo, quod eundo posset illos mundare, ibant, non indicantes de eius præcepto.* Vt Leprosorum probaretur fides, & obedientia, ad sacerdotes mittuntur. Ipsi enim bene cognoscebant, se esse Leprosos, & à sacerdotibus non posse curari, sed declarari Leprosos, vel à lepra mundatos. Tamen audito Christi imperio non dubitant, sed firmiter credentes ibant, quòd antequam ad sacerdotes peruenirent, Domini virtute sanarentur: nisi enim hoc sibi certò persuasissent, ad sacerdotes minime pergerent, vt ab eis lepra mundati publicarentur: Ade ergo repleti ibant, & sic mundantur. Vnde Christus dixit Samaritano, *fides tua te saluum fecit.* Hæc ratio mihi videtur maximè literalis.

Septimò. D. Augustinus lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 10. refertur dist. 1. de Pœnit. *Præcepit, ait, Dominus mundatis, vt ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali presentia confitenda peccata. Dixit enim, ora monstrate, & omnes, non vnus pro omnibus, vt qui per vos peccastis, per vos erubescatis: erubescencia enim partem habet remissionis, Mandat Dominus, vt omnes, non vnus pro omnibus, vadant ad sacerdotes, siquidem omnes sua lepra, ac peccato coinquinati extabant? omnes ergo pro se ipsis pœnitentiam exoluant, & si in itinere sit labor, in declaranda lepra erubescencia, hæc inferant satisfactionis partem. Per hos autem*

mysticos Leprosos, inquit D. Chrysostr. lib. 3. de sacerdot. voluit Dominus significare peccatores in lege noua debere, sacerdotes adire, vt in pœnitentiæ sacramento à peccati lepra absoluantur: sacerdotum enim legis gratia, non lepram declarare, vt fuit in lege veteri, sed probatam peccatorum lepram expiare, ac purgare.

Octauò. Leprosus præcipit Dominus, vt se ipsos sacerdotibus ostendant, vt à lepræ immunditia expiantur; & si in illa essent detenti, tanquam incurabiles, ne eorum contagione sani inficiarentur, ab hominum consortio hoc facto excluderentur: vt denotaretur peculiare sacerdotum munus esse, vt vulnerati, & plagati curentur, ac sani fiant; sicut & qui bene incolumes se habent, in sua recta valetudine conferuntur, ac proficiant. Post seditionem Core, & Dathan, murmurante populo contra Moysen, & Aaron, egressus est ignis ab ira Domini, magnamque partem multitudinis incendio deuastabat; ait Moyses ad Aaron, vt tollat thuribulum, & misso incenso currat ad populum, pro eoque roget. Tuac Aaron stans inter mortuos, & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit, Numer. 16. num. 48. Cur non alium locum eligit sacerdos, sed inter mortuos, ac viuos se collocat? Cur non potius in principio, seu sine castrorum? D. Gregorius Magnus relatus in Glossa: *Aaron, inquit, iram Dei placaret, thuribulum sumpsit, atque inter viuos, & mortuos stetit, quia sacerdotis negotium est, Deo orationem fundere, & pro iustis, ne cadant, & pro peccatoribus, vt resurgant.*

Nonò. Carthusianus: *Vt legem sponte seruando, humilitatis, & obedientia nobis præberet exempla. Quamuis Christus esset omnium Dominus; tamen vt legem adimpleret, Leuitic. 1. 3. num. 2. Leprosos ad sacerdotes destinat, vt de eorum munditia iudicium ferant; vniuersos nos diuinus Magister docens, quòd quamuis alta, & eminenti dignitate præfulgeamus, ab illa aliquando deflectamus, animumque nostrum submittamus, ac inculpemus; & tunc statim munus nostrum adimplebimus, obligationique nostræ satisfaciemus.*

Cùm meus Iesus penderet in Cruce, posuerunt super caput eius scriptum: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Postea verò scribit Ioannes Euangelista cap. 19. num. 30. *Et inclinatum capite tradidit spiritum.* Et tamen, vt rectè notat Chrysostr. ibi homil. 84. *Argui non post inclinatum caput expiatur, sed post expirationem, caput inclinatur, inclinat caput ex magno sanè, & alto mysterio. Tradidit Christus spiritum adimplens præceptum Patris, factus obediens usque ad mortem: à regio ergo ipso titulo inclinatur, & admouet caput; suo documento nos instruens, quòd, vt de mandato nostro muneri satisfaciamus, aliquando ab ipsa alta, & suprema dignitate inflectendus, ac dimouendus est animus, vt ipsa abiectione humilia amplexentes, quæ nostri muneris sunt, persoluamus.*

Ad instantiam Aman ad communem Iudaeorum cædem concedit Assuerus decretum, cuius exordium est: *Rex maximus Artaxerxes ab India usque Æthiopiã, Esther 13. num. 1.* Postea verò mandatum ipsum abrogat, vt ratio, & iustitia exigebat, sicque scribitur: *Rex magnus Artaxerxes ab India usque Æthiopiã, Esther 16. num. 1.* Cur modò omittit illud superlatiuum, *Rex maximus*, & tantum minori titulo vitur? Cùm homines conuiciunt oculos ad supremum suæ dignitatis apicem,

Chrysostr.

34.

Sacerdotis munus, plangatos curare, sanos verò conseruare.

Numer. 16.

Greg. Magn.

35. Carthul.

Leuit. 13.

A dignitate animum submittentes nostro muneri satisfaciemus.

36. Ioan. 19.

Chrysostr.

Deflecte animum ab alto titulo, & humilia tibi præcepta præstabis.

37. Esther 13.

Esther 16.

apicem, statim omnia iura humana; & diuina violant, ac conculant. At verò cùm ab illa altitudine deflectuntur, tunc iustitiæ debito se continent, & astringunt. Cùm Assuerus, contra omnem ius, mandatum de Iudaeorum cæde firmat, superlatiuo titulo *Rex maximus* nominatur, ac si supereminencia sua tantam velit obumbrare crudelitatem. Cùm autem ab illa altitudine declinat, & iam, superlatiuo omisso, *Rex magnus* scribitur, iustitiæ metas tenens, illisque correspondens, mandatum reuocat; indulgentiam vitæ concedit, vt iustitia exigebat.

Si consideratio à suprema dignitate inclinatur, iustitia seruatur.

QUESTIO VI.

Quare in via, dum vadunt, antequam ad sacerdotes veniant, Leprosi sanantur?

38. **M**ANDAVIT Dominus his Leprosi, vt in templum pergerent, seque sacerdotibus ostenderent: *Factum est, ait, Euangelista, dum irent, mundati sunt, seu, vt legit Vatablus, inter eundem.* Cur in via abiit lepra? Cur non expectat accessum templi, vt ad sacerdotes perueniret, sed statim in itinere; imò cùm adhuc à Christo nondum longè recessissent, ab ipso sanantur.

39. **R**espondeo primò. Quòd hoc promeruit eorum fides, quam Dominus probare voluit, vt ait Euthymius, & ideo, vt ipse inquit, *ibant non diiudicantes de eius præcepto, sed firmiter credentes, inde sine delatione, tanta fides probata, & declarata miraculum obtinuit.* Secundò. Antequam ad sacerdotes deueniant, Leprosi sanantur, vt ita aperte dignosceretur Christi potentia, & imperium, qui eos abire mandauerat; & ne miraculum alicui sacerdotum virtuti perpetam tribueretur, vtque distincte cognitus miraculi auctor veneraretur, ne debitus Christo honor aliis impenderetur, ideo in via curantur.

40. **T**ertio Eusebius Gallicanus homil. in Dom. 14. post Pentecosten. *Vide, inquit, cum obedientia fuerint isti Leprosi. Ad sacerdotes eos ire, Dominus iussit. Adhuc se Leprosos videbant, tamen ad sacerdotes pergebant, quia, non frustra hoc eis Dominum iussisse, credebant.* Ad sacerdotes mandantur ire, & quamuis se immundos viderent, adhuc ad sacerdotes tendebant. Cur tunc sanantur, quando à Iesu recedunt, & non antea? Scierunt isti, relinquere Iesum, vt, euntes ad sacerdotes, eius obtemperarent imperiis; & cùm obedire incipiunt, à Iesu ex obedientia recedentes, tunc propriam negotiantur salutem.

41. **Q**uartò D. Basilius Seleucus Orat. 36. *Que, ait, ad oculos usque Domini tyrannidem exercuerat Lepra, videndo tyrannidem desistit, nec ultra apparet, celeriter ad imperium fugiens patientem.* Cur non expectat Lepra templi accessum? Cur statim in via, cùm non Longè à Christo absunt, sine mora abit, & recedit? Vbi primum Iesus oculos sustinuit, Lepra non contraxit moras, sed celeriter abcessit, nec amplius homines vexat; Iesus enim presentia omne malum fugirat, & excludit.

42. **Q**uintò His Leprosi dicit Dominus: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Videtur, tanquam si diceret, quòd ipsi, cùm ad sacerdotes peruenissent, sanitati tunc restituendi forent. Et tamen, vt dicitur in praesenti: *Factum est, dum irent, mundati sunt.* In ipso itinere, antequam ad sacerdotes accessis-

Non vult Deus, vt suus alteri tribuatur honor.

Qui obediendo Deum relinquit, salutem habet.

Christi presentia omne malum fugit.

Dei liberalitas citius inuolget donum, quam videbitur promissum.

sent, virtute Domini præsanantur. Semper magnifica Dei liberalitas moras rumpit, & præfixum indulgentiæ sanitati tempus antevertit.

Postquam Samuel vnxit Saul in regem Israel, suæ à Deo factæ electionis tria ei dat signa. Primum, quòd iuxta sepulchrum Rachel duos inueniet viros. Secdum, quòd iuxta quercum Thabor reperiet tres viros. Tertium, quòd in ciuitatis ingressu obuius ei fiet propheta chorus, & tunc, quòd ipse Saul mutabitur in virum alterum: finitoque sermone. *Itaque cum auertisset humerum suum, vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud, 1. Regum 10. num. 9.* Id est, Statim ac Saul auertit humerum, seu faciem suam, vt iter arriperet, seu, vt explicatius habet Hebraicus, *cum respexit ad abeundum, hoc est, prima corporis motione, primòque ad iter oculorum intuitu, immutauit ei Deus cor aliud, hoc est dedit ei cor regium, & magnum ad gubernandum, vt explicant Theodoret. D. Gregorius, Abulensis, Carthusianus, Hugo, & alij; vtque etiam ait Tertullianus lib. de anima cap. 11. Saulem Dei Spiritus antea verit in animo vitum, vt tanquam propheta Dei laudes caneret. Nonne ei dictum erat à Domino, quòd postquam illa ei tria accidissent signa, tunc mutaberis in virum alium? Quomodo nunc ante omnia ipsa signa, cùmque primum, vt à Samuele recedat, pedem mouet, in ipsòque oculorum primo reflexu immutauit ei Deus cor aliud, ipsèque mutatus est in alterum virum? Pulchre Caietanus: *Vide, ait, benignitatem Dei, non expectauit tempus predictum à Samuele, sed statim vt à Samuele, abiit Saul, immutauit ei cor.* Diuina liberalitas citius, quam promisit, promissum exoluit, & scimlet; donumque, quòd pollicitum fuerat post tertium signum, ante omne signum magnifice largitur, & concedit.*

Post finitum colloquium iniunctæ legationis Moyses ad Pharaonem, cùm per desertum in Ægyptum pergeret, *Dixit Dominus ad Aaron, Vade in occursum Moysi in desertum.* Exod. 4. num. 27. In illo colloquio legationis cùm se Moyses excusasset ob impedimentum linguæ, ait ei Deus: *Aaron frater tuus Leuites, scio, quòd eloquens sit; ecce ipse egredietur in occursum tuum, loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius.* Ibidem n. 14. Pollicitum est Moysi, quòd in congressu ad Pharaonem frater eius Aaron erit ei obuius, vt pro eo tanquam eloquens loquatur ad Regem, & populum: Cur ergo antequam Moyses attingat Ægyptum, ac perueniat ad Pharaonem, præcipit Deus Aaron, *Vade in occursum Moysi in desertum?* R. P. Ioannes de la Haye Exod. 4. num. 197. *Deus, inquit, promissa citius, & abundantius adimplet, quam promissit.* Non solum Aaron datur in auxilium Moysi in congressu ad Pharaonem ad loquendum cum Rege, vt stabat in promissis, quòd post aliquot dies erat futurum, sed etiam statim, ac proximo, & sequenti die mandatur Aaron, vt fiat in occursum Moysi in via, tanquam magnum eius solatium, vt pote consortium, ac societas tanti, ac talis fratris in loco deserto, cùm ipse, ab omnibus deficiat in Ægyptum pergeret. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 6. num. 33. & tom. 2. cap. 6. quæst. 12. num. 84. & tom. 3. cap. 19. exposit. 1. num. 2.

Luce. 17. n. 15. **V**nus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum.

43.

1. Reg. 10.

Theodor. Gregor. Abulens. Carthul. Hugo. Tertullian.

Caietana.

44.

Exod. 4.

Ioannes de la Haye

Deus citius, quam pollicitus est, promissa adimplet.

num. 16.

Matth. 8. Marc. 1.

Communio: Laici se Dominus accomodat.

30. Aliquando ab lucrò suorum zelus. Ericus.

Ericus.

Contentio euitanda.

31. Cyrill.

Odium nullo testimonio mitigatur.

Testimonium ab inimicis magnam.

32. Euthym.

Ex fide mundantur Leprosi.

33. August.

Qui peccauit, per se ipsum satisfaciunt.